

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A 1570.

P A R S Q U A R T A.

323

sunt nostris juvenes optimi & doctissimi, & quod aliis est concessum certa ex dispensatione, quare non concederetur tuis? Fac ergo, ut quamprimum erit commodum, ad nos illos mittas, efficiemus, ut intelligas, nobis erga te tuosque benevolentiam & studia non defuisse, & speramus id propositum publico bono serviturum. Bene vale cum uxore, familia & Collegis. Salvum te jubent amanter Coccius & Füglinus & alii complures. Basili. 20. Julii, Anno 1570.

Filios tuos cum misericordia recta ad me dirigo.

I. R. d

tatus ex animo

S. Sulcerus.

XIII.

S. D. Reverende & clarissime Vir, amice colende.

Servabo solenne istud in veris amicitiis, ut ne quem sine meis literis istuc euntem dimittam. Etsi igitur ante paucos dies de aliis rebus scripsi: tamen praesentem Tabellarium inanem ad te venire nolui. De gravissimis & difficillimis controversiis, quae nunc agitantur, optarim pios aliquot & constantes doctrinæ Lutheri Confessionis, placide & amanter colloqui inter se posse. Etsi enim de rebus ipsis fortasse consensus est inter eos, qui Sacramentariorum dogmata impia serio oppugnant, tamen formæ loquendi dissimiles etiam nostros dissidia accendent.

Et quidam ~~intelligunt~~, sed in corde cum Sacramentariis consentientes, hanc majorem Syllogismi; Quod humanæ naturæ ~~id est~~ ut uno tantum loco continetur, Christus nunc etiam retineat, passim inculcant: ex qua Minor & conclusio firmissime stabiliens dogma adversariorum, & funditus evertens Lutheri de vera corporis praesentia confessionem, sua sponte sequuntur. Simplicem etiam omnium divinæ naturæ ~~id est~~ & transmutationem in assumptionem ~~intelligunt~~, defendere non possumus: cum certum sit, aeternitatem, creationem, & alia quædam assumptionæ humanitati non convenire. Valde igitur optarim, distinctam de tantis rebus explicationem extare, ad quam ~~convenienter~~ & ~~intelligenter~~ paucorum piorum & eruditorum proderit. Ea de re quid tibi placeat & obtineri posse videatur, significabis. Bene vale, 20. Augusti.

David Chyträus.

Sf 2

XIV